



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

IX. Defleat peccator; quia, offendens in uno, factus est omnium reus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

Ium metus impletionis præcepti & fugæ peccati motivum finale sit ac principale: ut, si infernus non esset, peccandi voluntatem quis haberet. Postremò seu Mundanò timore coactus ad legis impletionem movetur & à transgressione abstrahitur solò metu pœnæ ab hominibus infligendæ: ut Laiman *cit. n. 10.* vel, ut *arr. cit.* S. Thomas vult, metu amittendi bona mundi, opes, famam, vitam &c.

3. Deinde inter præcepti impletionem quoad substantiam duntaxat, & cum merito apud Deum: quarum prior res præcepta præcisè actu humanò seu voluntariò & liberò, etiam malò, ponitur: posteriori vero ponitur per actum humanum moraliter bonum & virtuosum, Deòque placentem & meritorium. Unde

4. Expedita est conciliatio propositæ Regulæ cum lege Divina & definitione Synodali; cum ille de timore Humano aut merè Servili, habente rationem causæ finalis ac principalis, & de impletionem præcepti quoad nudam actus substantiam: Tridentinum autem & S. Scripturæ textus de timore Servili, habente rationem causæ solùm impulsivæ, aut Filiali: & de impletionem præcepti cum merito sint exaudiendi. Quare

5. Regulæ sensus verus est, *Qui actum præceptum facit ex timore mundano, aut merè servili ita constituto; ut penarum metus impletionis præcepti non sit causa solùm impulsiva, sed finalis, conjuncta cum voluntate peccandi, si infernus non esset, id aliter, quàm debet, facit.* Ratio est; quia id cum peccato, & sine ullo apud Deum merito facit. Idem ferè statui potest de intentione; cum, qui rem præceptam v.g. auditionem Missæ exequitur malâ intentione, id aliter, quàm debet faciat; quia id facit cum peccato & sine merito apud Deum. Unde hi tales à S. Augustino, præceptum non facere, dicun-

tur; quòd, id merè serviliter aut cum mala intentione facientes; perinde quoad meritum habeantur, ut id non facientes.

REGVLA IX.

Defleat peccator; quia offendens in Uno factus est Omnium reus.

SUMMARIUM.

1. *Difficultas Regula,*
2. *Restringenda ad effectus peccati negativos,*
3. *Verus ejusdem sensus,*
4. *Et interpretatio altera,*
5. *Dogmate Apostolico confirmatur.*

Difficilis hæc Regula primò occursum apparet; cum blasphemii non semper periuri, nec raptores, homicidæ, aut fures, adulteri semper sint: & blasphemia, perjurii, rapina, homicidii, furti & adulterii peccata non specie duntaxat, sed genere, sive ut Philosophi loquuntur, non solò numero, sed specie differre: eorumque unum alterò, plura unò graviora esse, majorèque pœnam promereri, inficias ire aut vocare in dubium, Orthodoxorum nemo aufit. Quò ergo Jure aut ratione omnium pronuntiat reus, qui unicum perpetravit?

Argumenti istius vim ut enervarent, Interpretes Regulæ & Apostolicæ sententiæ expositiones varias excogitarunt. Mihi præ aliis satisfaciunt, qui eam restringunt ad effectus peccati negativos, ut sunt privatio amicitiæ Dei, gratiæque sanctificantis & virtutum infusarum, jactura meritorum & præmii vitæ æternæ jurisque ad ea: non de ipsa peccatoris conver-

conversione ad creaturam sive objectum illicitum; cum ad unum se convertens ab alio abhorreere & averti possit: neque de gravitate malitiæ peccati & offensæ Divinæ; cum utique peccatum unum gravius altero sit, Deusque non omnibus æqualiter, sed unò magis quàm alterò, magisque pluribus quàm uno offendatur; neque etiam de pœna sensus; quia quoad hanc ingens tantæque differentia est, quanta est ipsorum peccatorum.

3. Quare sensus Regulæ est, *Peccatum mortale unum committens amicitiam gratiæque divinæ meritò ac præmiò celesti, omnique ad ea jure excidit perinde, ut qui omnia peccata commisit.* Ratio est; quia gratia meritum & huic respondens cœleste præmium totum, omnéque ad ea jus quòvis peccatò mortali amittitur, Lyranus in *S. Jacobi Epist. cap. 2. & cum D. Thoma 2. 2. q. 72. art. 1. Glosa, Vivianus & Wagnerck ad Reg. cit.*

4. Non displicet etiam interpretatio aliorum, in uno offendentem omnium reum asserentium; quòd, qui insuper habità Dei legislatoris auctoritate unam ejus legem transgreditur, cæteras non servet formaliter, hoc est, spectatâ ratione movente ad legis observantiam; quòd nimirum sit præceptum legislatoris Dei: sed materialiter duntaxat, & ideo solum; quia ita lubet: quò modò cum transgressione unius legis auctoritas Dei, qui omnium conditor est, tota contemnatur, unius transgressor dicitur omnium reus saltem in actu primò, ob insuper habitam auctoritatem, à qua omnes pendunt. Confirmatur hic Regulæ intellectus paritate cum eo, qui unicuique articulù Fidei sufficienter propositum negat; talis enim nec cæteros credit fide divinâ, sive, quia eos Deus summè verax revelavit: sed solummodo humanâ, sive, quia ipsi ita videtur; quia unum negandò mo-

tivum formale fidei Divinæ, propter quòd omnes credendi sunt, scilicet; quòd Deus summè verax eos revelârit, jam contempsit.

5. Pro posteriori hac, imò & pro priori Regulæ expositione facit; quòd ad mentem accedant Apostoli *cap. 2. cit.* damnantis errorem Pharisæorum, unius & alterius præcepti transgressione Deum non offendi, asserentium; nisi seu tota vel major ejus pars contemnatur: eisque ad eximendum hunc errorem dogmatis insular opponentis, quòd *Offendens in uno factus sit omnium reus*; quòd secundum priorem charitate, gratiâ, meritò ac præmiò cœlesti excidat, eandemque damni pœnam, quam omnium transgressor, incurrat: vel secundum posteriorem expositionem per unius præcepti divini transgressionem auctoritas Dei legislativa tota contemnatur; ut istius transgressor, sublatò legalis observantiæ motivò, ad omnium transgressionem jam sit expeditus.

REGULA X.

Non potest esse justa Pastoris excusatio, si lupus Oves comedit, & Pastor nescit.

SUMMARIUM.

1. Regulæ verborum significatio.
2. Ejus sensus variæque.
3. Et gravitas muneris Pastoralis.

Regulæ istius verba non propria, sed metaphoricam habent significationem; cum in ea *Pastoris* nomine Prælati & alii, quibus animarum cura ex officio imminet: nominibus *Ovium & Lupi* illorum cu-

Z z z ;

rum cu-